



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

LIX. Quod nullus religiosus fideiubeat sine licentia abbatis & conuentus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

Etus in eorum iucundo aduentu semel in anno a-
periantur ecclesiæ , vt exclusis excommunicatis di-
uina ibi officia celebrentur. Sic intelligi volumus,
quod in eadem ciuitate , aut castro , vel villa , vna
tantum ecclesia eiusdem ordinis fratribus , vt di-
ctum est , semel aperiatur in anno : quia licet plu-
raliter dictum sit quod in eorum iucundo aduen-
tu aperiantur ecclesiæ , non tamen ad ecclesiæ eius-
dem loci diuisim , sed prædictorum locorum con-
iunctim , sano referendum est intelle&tu , ne si hoc
modo singulas eiusdem loci ecclesiæ visitarent , ni-
mium vilipendi contingeret sententiam interdicti.
Qui vero contra declarationes præscriptas quid-
quam sibi præsumpserint usurpare , graui subia-
cent vltioni.

L V I I I .

Quod nonnullis est religiosis indultum , in fa-
uorem pontificalis officii ad episcopos exten-
tes , concedimus vt , cum commune terræ fuerit
interdictum , excommunicatis & interdictis exclu-
sis , possint quandoque ianuis clausis , suppressa vo-
ce , non pulsatis campanis , celebrare officia diuina ,
nisi hoc ipsum eis expresse fuerit interdictum . Ve-
rum hoc illis concedimus qui causam aliquam non
præstiterint interdicto , nec quidquam doli vel
fraudis ingesserint , tale compendium ad iniquum
dispendum pertrahentes .

L I X .

Quod quibusdam religiosis a sede apostolica est
prohibitum , volumus & mandamus ad vniuersos
extendi , ne quis videlicet religiosus absque abba-

ANNO CHRISTI
1215. tis & maioris partis sui capituli licentia, pro aliquo fideiubeat, vel ab alio pecuniam mutuo accipiat ultra summam communi prouidentia constitutam. Alioqui non teneatur conuentus pro his aliquatenus respondere, nisi forte in vtilitatem domus ipsius manifeste constiterit redundasse: & qui contra statutum istud venire præsumperit, grauiori disciplinæ subdatur.

L X.

Accedentibus ad nos de diuersis mundi partibus episcoporum querelis, intellectimus graues & grandes quorumdam abbatum excessus, qui suis finibus non contenti manus ad ea quæ sunt episcopalis dignitatis extendunt, de causis matrimonialibus cognoscendo, iniungendo publicas pœnitentias, concedendo etiam indulgentiarum litteras, & similia præsumendo, vnde contingit interdum quod vilescat episcopalis auctoritas apud multos. Volentes igitur in iis & episcoporum dignitatibus & abbatum prouidere saluti, præsenti decreto firmiter prohibemus, ne quis abbatum ad talia se præsumat extendere, si proprium voluerit periculum euitare, nisi forte quisquam eorum speciali concessione, vel alia legitima causa, super huiusmodi valeat se tueri.

L XI.

In Lateranensi Concilio noscitur fuisse prohibitum, ne quilibet regulares ecclesias, seu decimas, sine consensu episcoporum de manu præsumant recipere laicali, nec excommunicatos vel nominatum interdictos admittant aliquatenus ad diuina.

Sub Alexā-
dro tertio
cap. 9.

Concil. Tom. 28.

D d ij